



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi, Et In Connimbricensi Academia
Sacrarum Litterarum primarii Professoris Opvs, De Virtute
Et Statu Religionis**

Qvo Quid Contineatur, Index proximus indicabit

De Obligationibus Religiosorum ex Regula, Prælatione & subiectione
regulari provenientibus, De varietate Religionum tam in genere, quàm in
specie, De Religione Societatis Iesv in particulari

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1626

VIII. Præmittitur generalis doctrina denuntiationis, vt ostendatur quousque
in Societate locum habeat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93501](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93501)

tamen secretò, aut, è contra communicatus secretò est, non tamen consilij, sed amicitie, aut alterius finis humani gratia, ad superiorem immediate deferre, quòd si sensum disiunctum reddant, duplici ex principio prohibetur usus notitiæ, tum, si secretò communicata fuit, etiam absque ordine ad consilium, vel directionem, &c. tum, si cum tali ordine, absque conditione tamen vlla secreti, quod per se nihilominus seruare teneatur is, qui consulitur ex alio principio, reuerentia scilicet, vt ita dicam, negotij conscientie. Censeo tamen sensum esse copulatum, tum, quia coniunctio &c. communiter illum sensum reddit, tum quia citatus canon 10. §. 1. declarat amplissimam iuris renuntiationem, dicendo renunciare nos cuiusque iuri fame. Cum ergo in bonum spirituale anima conditus sit, eam solum notitiam excipit, cuius usus spirituali bono aliquin obesset, cuiusmodi est usus notitiæ ex confessione, aut ex communicatione gratia consilij, & directionis; auerterentur siquidem homines à quarendo animæ remedio, si talis usus concederetur. Admittit ergo regula usum notitiæ humano modo communicatæ, atque implicite irritam facit quamcunque promissionem, etiam iurata de non reuelando superiori cum id sit contra bonos mores, imò contra primum eius finem.

CAPVT VIII.

Præmittitur generalis doctrina denuntiationis, vt ostendatur quouque iuxta regulam Societatis locum habeat.

I.
Notatio 1.
quid sit denuntiationis
latissimè
sumpta.

VT altius explicemus iusticiam, & honestatem dictæ regulæ, eamque veræ doctrinæ de correctione accommodemus, nonnulla principia generalia præmittenda sunt, præsertim, quid denuntiationis sit, & quomodo fieri contingat: nam hoc necessarium est ad intelligendum quouque secreta moniti præcedere debeat denuntiationem, quam distinctionem tradidimus circa crimen hæresis in disp. 20. de fide sect. 4. à n. 2. Et in primis denuntiationis latissimè sumi potest pro manifestatione delicti facta Prælatò, & sic comprehendit etiam accusationem, de qua hic nō agimus, sed in c. 12. ad finem nō nihil circa illam attingimus, quia certum est ad illam non prærequiri monitionem, nam per eam nō intenditur per se emendatio fratris, sed vel interesse proprium, & vt accusatori fiat satisfactio, vel publica etiam vindicta & punitio delicti, & in ea se gerit accusator, vt actor exigens à iudice punctionem, & satisfactionem condignam rei, quam iudex reddere tenetur seruato iustitiæ ordine, ideoque accusatio in scriptis necessariò fieri debet, seu inscriptio debet ad illam præcedere, nisi in rebus leuissimis, iuxta legem leuissimè de accusat. quæ omnia simul ad denuntiationem necessaria non sunt: proprius ergo sumpta denuntiatione, vt ab accusatione distinguitur, est legitima delatio, seu manifestatio delicti facta superiori, vt suo munere, vel prouidentia utatur ad aliquod damnum emendandum, vel impediendum. Quæ descriptio ex dicendis patebit, ne in eius declaratione immoremur. Addit verò Hostiensis in Summa lib. 5. tit. de denuntiationibus, esse delationem sine inscriptione; sed licet verum sit denuntiationem sæpe fieri legitime sine scripto, tamē aliquando potest scripturam postulare, vt notauit Soto, & ideo non oportet hoc in generali descriptione ponere. Melius ergo facta aliqua diuisione, ratio denuntiationis declarabitur.

II.
Notatio 2.
quætriplex

Solet ergo multipliciter diuidi denuntiationis. Parnormit. in c. nouit. de iudiciis num. 33. quem sequitur Soto dicta Relect. membr. 2. q. 5. quatuor genera de Franc. Suar. de statu relig. Tom. IV.

denuntiationis distinguitur, scilicet, iudicialis, Evangelicæ, canonicæ, & regularis. Adrianus verò in 4. materia de correctione fraterna q. vlt. ad 1. omisso ultimo membro alia tria numerat. Innocentius autem in c. nouit, de iudiciis, distinguit quidem Evangelicam & canonicam denuntiationem, omittit autem iudicalem; & ponit aliam, quam dicit non esse actionem, nec denuntiationem propriam, sed præcedere actionem, vel denuntiationem, non autem declarat, quid sit, sed exempla eius dicit esse frequentia in iure, c. quapropter, cap. si quid. 2. q. 7. in quibus solum præcipit Pontifex, vt sibi manifestentur, quæ in Episcopis, vel aliis Prælati notata fuerint. & in c. fin. de accusationib. fit mentio similis denuntiationis, quæ solum videtur esse quædam simplex delatio ad aures Prælati, vt ipse inquirat, tamen si attentè considerentur citata iura, & similia, illa denuntiationis vel iudicialis est, vel ad eam reducitur, nam est inchoatio quædam, vel excitatio iudicis vt inquirat, & iudicet, quam admonitionem interdū facit Episcopus Principi, aut iudici seculari, vt in Authent. vt iudices sine quoquo suffragio fiant. §. si quis autem, & sequentibus. Denique Hostiensis in dict. tit. de denuntiationibus, duplicem tantum distinguit denuntiationem, scilicet Evangelicam, & iudicalem, quem sequitur D. Antoninus 3. p. tit. 9. c. 9. & in rigore videtur sufficiens diuisio si rectè explicetur.

Aduerto igitur tertio peccatum fratris esse posse, vel iam commissum, vel in periculo vt committatur, vel vtrunque simul, quia & commissum est, & est in periculo continuationis, vel iterationis. Denuntiationis igitur, de qua agimus, habet pro materia propria peccatum commissum, quia correctio non est de actu futuro, sed de iam commissio, vnde non dixit Christus, si quis peccaturus sit, sed, si peccauerit in te. Nihilominus tamen latius loquendo de denuntiatione, etiam peccatum futurum, vt est in periculo, vel occasione, denunciari potest Prælatò, vt præueniat, vel impediat, & hanc aliqui vocant canonicam denuntiationem, quia Evangelica non est id quod Christus de peccato commissio sit loquutus, vt nunc expendimus; veruntamen etiam hæc denuntiationis quatenus respicit bonum fratris, dici potest Evangelica, quia licet non formaliter, virtute tamen in verbis Christi continetur; tum quia in moralibus periculum quasi actus reputatur, tum maxime, quia eiusdem charitatis fraternæ actus est, & ad id præceptum pertinet, quod per se primò obligat ad subueniendum proximo spirituale necessitatem patienti, non solum autem necessitatem patitur, qui iam lapsus est, sed etiam qui in morali periculo cadendi versatur, ergo si moraliter indigeat superioris auxilio, vt vel à periculo tollatur, vel in periculo existens confortetur, opus eiusdem charitatis fraternæ erit, talem statim fratris Prælatò reuelare. Dices, qui in tali periculo se constituit, eo ipso peccat: ergo iam lapsus est, nec differt hic actus à præcedenti. Respondetur primò quidquid sit de antecedenti, distinguui consideratione (vt sic dicam) præcisua, quia per se primò intenditur, ne peccatum futurum committatur, siue periculum sit cum peccato, siue nō. Vnde secundo dicitur sæpe posse esse sine peccato, vt cum quis graui tentatione vrgetur, vel alia similitudine. Quamuis ergo tunc nō habeat locum propria correctio fraterna: nihilominus locū habet delatio ad superiorem ex charitate fraterna: & ad hanc (vt statim n. 3. dicam) per se non est necessaria secreta monitio: & ideo in Societate rég. 20. ex communibus ita statutum est, qui grauem tentationem alicuius nouerit, superiorem admonere, vt ei ipse pro paterna in suos cura, ac prouidentia, conuenienti remedio possit occurrere. Talis ergo denuntiationis (si ita appelletur) & fraterna, & Evangelica dici potest; nec video cur canonica

appellanda sit, cum non sit per canones introducta magis quam denuntiatio delicti commissi.

IV. Est autem ulterius aduertendum denuntiationem Euangelicam, seu fraternam per se primò & sufficenter ordinari ad bonum fratris, siue ut resurgat, siue ut præueniatur, ne amplius cadat, vel etiam ne simpliciter cadat: ultra hunc verò finem potest, & interdum debet intendi per hanc denuntiationem bonum tertij, & multo magis bonum commune, ut si peccatum fratris vergat in nocumentum iniuriosum proximi, & multo magis si in damnum cõmunitatis. Iuxta hos ergo duos fines distinguunt aliqui denuntiationem Euangelicam à canonica. Nā prior Euangelica dicitur iuxta illud, *lucratu eris fratrem tuum*, posterior canonica, fortasse quia propter illum finem boni tertij personæ, vel cõmunitatis, non fit de illa mentio in Euangelio, sed magis in iure canonico. Veruntamen non multum herendum est in nominibus, dummodo in re ipsa falsa aliqua differentia non constituitur, qualem esse illā cenfeo, quam aliqui assignant (nisi sano modo explicetur, ut in n. 7. & 8. attingam: scilicet ad hanc posteriorem, id est, canonicam denuntiationem, non oportere secretam monitionem præcedere, sicut in prima, quia in illa non habet locum illa conditio, si peccauerit in te, quia tunc non peccat frater in te, sed in alios, quibus nocumentum parat; & bonum innocentis, & præsertim cõmunitatis, præferendū est bono priuatae personæ peccantis.

V. Hæc enim differentia primò non rectè fundatur in Euangelio, ut præcedenti cap. à numer. 11. tractatum est, quia illud præceptum nō limitatur ad peccatum, quod lædit corripientem: deinde nec satis ratione fundatur, quia licet bonum innocentis vel commune præferendum sit, tamen si potest simul seruari, bonum & fama peccantis, prodigenda non est. Vnde argumentor in hunc modum; quando peccatum proximi vergit in damnum tertij, vel cõmunitatis, aut ego possum per meipsum admonitione secreta illud impedire, & de hoc habeo spem moraliter certam; & tunc non est cur illum denunciem alteri; neque ibi interuenit bonū commune, vel innocentis, quod præferendum sit famæ peccatoris; quia non pugnant inter se, sed simul possum omnia tueri: ergo tunc æquè teneor per secretam monitionem remedium adhibere, ac si solum interderem fratris emendam. Et confirmatur, nā si peccatum proximi vergat in meum nocumentum, & ego simul cum illius emendatione intendam me indennem seruare, ut licite possum, & interdum debeo, præcipuè si nocumētum, quod timeo, spirituale sit: nihilominus teneor secretam monitionem præmittere si per illam spero vtrumque fructum, ut constat ex verbis Christi: *si peccauerit in te*, etiam in omni rigore intellectus, id est, contra te tantum; ergo quando peccatum vergit in detrimentum alterius, si vterque fructus per secretam monitionem speratur, ex eadem obligatione præmittenda erit: quid enim refert, quod sit defensio mea vel alterius innocentis: nam etiam ego in ea re sum innocens, & ita ex charitate obligor, seu inducor ad me defendendum, sicut alium. Vnde etiam fit ut denuntiatio illa, quando ad eam peruenitur, substantialiter sit Euangelica, id est, eiusdem rationis, virtutis, & ordinis, nam quod aliquis per correctionem intendat defensionem propriam, si non excludat emendationem fratris, non obstat quominus illa sit correctio fraterna, & Euangelica: ergo quod intēdat defensionem alterius innocentis simul cum emendatione fratris, non est extra rationem correctionis fraternæ: ergo denuntiatio etiam subsequens potest dici fraterna, seu Euangelica.

VI. Aut certe talis est nocumentum alterius, ut non

fit moralis spes, impediendi illud per secretam monitionem; & tunc cessat quidem obligatio præmittendi illam, tamen, idem est, quando peccatum fratris vergit in meum nocumentum, & despero auxilio Prælati; imò idem est licet peccatum nulli homini nocumentum inferat, nisi ipimet peccanti, nam tunc etiam denunciandus est Prælati prætermissa monitione secreta, de qua fructus nō speratur, quia hæc esset tunc otiosa, & aliud spirituale bonum fratris præferendum est famæ eius: ergo fortaliter loquendo, non intercedit talis differentia inter illas duas denuntiationes, quæ Euangelica & canonica appellantur, ergo ob hanc rationem, nec est necessaria illa distinctio, neque illa nomina fundamentum habent.

Dico autem formaliter loquendo, quia quando peccatum vergit in damnum tertij, difficilius poterit per solam correctionem secretam emendari, quā peccatum, quod soli nocet peccanti. Item est alia differentia, quod cum peccatum nocet alteri, interuenit ius tertij, cui non possum ego cedere, & ideo requiritur spes magis certa, magisque excludens periculum nocimenti, ut monitio priuata omittenda sit, quā cum peccatum, vel nemini nocet, vel mihi tantum, qui de meo periculo, vel nocimento melius iudicare possum. Ob hanc ergo causam in peccatis, quæ vergunt in damnum tertij, frequentius licet à denuntiatione incipere, vel sæpe etiam erit necessarium, maxime quando bonum commune periclitatur, ut est in peccato hæresis, prodicionis, &c. Hanc autem differentiam materialiter voco, quia præceptum charitatis semper est idem, sed quia affirmatiuum est, requiritur iam opportunitatem: hæc verò in vna materia, vel vno genere peccati frequentius occurrit quā in alio.

Addo insuper, quando ita timetur nocumentum tertij, vel boni communis, ut nondum inchoatum sit, nec peccatum aliquod sit actū commissum & proximo, ex quo illud periculum timeatur, tunc in rigore necessarium non esse monitionem secretam præmittere, sed posse immediatè denunciare rem, seu periculum Prælati; quia tunc non infamatur proximus, neque interuenit propria materia correctionis, sed solius defensionis, & ideo cessat ratio prædicti ordinis. Hoc autem ita verum est in peccato, quod vel nemini nocere potest nisi peccati, vel solum ipsi emendanti, sicut in peccatis quæ aliis nocent. Quia si frater nondum peccauit, nec mihi nocuit, verisatim autem in periculo cadendi, aut mihi nocendi, licet sperem per meam admonitionem posse sufficiens remedium adhibere, nō teneor, per se loquendo, sed possum immediate uti auxilio Prælati: quia ratio facta hic etiam habet locum, non enim infamatur frater, cum nullum eius delictum manifestetur, neque actio illa ordinatur ad eius correctionem, ut ordinem correctionis obseruare necesse sit; & ita nullo modo accommodatur illa differentia, nisi tantum materialiter, ut numero præcedenti dixi. Igitur illa differentia inter Euangelicam & canonicam monitionem ex illis finibus desumpta, parui momenti est, neque oportet ob tam causam membra multiplicare: quartum verò membrum de denuntiatione regulari, quod Soto num. 1. alitius posuit, cum Panormit. magis habere locum potest iuxta dicta in cap. præcedenti numer. 18. de denuntiatione iuris, siquidem tunc regularis denuntiatio incipit à secundo actu, cum Euangelica per se loquendo, requirit etiam primum, quāquam Soto hunc sensum non intendit, improbamus autem quem intendit. Nam illa etiam denuntiatio regularis, quam affert, solum est materialis, eo quod denun-

denuntiatio fit in religione, & secundum regulas, vel constitutiones eius; tamen illa etiamli necessario postulet integrum ordinem, semper est aut Evangelica, seu paterna, aut iudicialis denuntiatio.

IX. Est ergo simpliciter sufficiens illa bimembris diuisio denuntiationis, in Evangelicam & iudicialem (quam enim admittimus religionem, charitatis terminis continetur) quæ membra in primis differre censentur ex fine, nam per Evangelicam non intenditur vindicta delicti, sed emendatio fratris, & ad summum extenditur ad euitanda aliorum nocumenta, iuxta proximè dicta à numer. 4. Iudicialis autem ad hoc tendit, ut delictum puniatur, quatenus expedit bono communi, ne delicta maneant impunita, sed hoc fano modo intelligendum est, nam etiam denuntiatio iudicialis per se primò ordinatur ad bonum fratris, ut ex Evangelio constat, *lucratu eris fratrem tuum*, & deficiente hoc fine, præcipitur denuntiatio Ecclesie, quam esse iudicialem ex dicendis constabit. Ratione etiam declaratur, nam intendere vindictam proprii est accusatoris, qui propterea ad probandum delictum obligatur, ergo per denuntiationem non intenditur per se ac principaliter ille finis, nec facile quis admitti debet ad petendam vindictam, vel punitionem delicti, nisi ad probandum obligetur; solum ergo potest esse differentia, quod per denuntiationem paternam, nunquam intenditur vindicta, sed emendatio: iudicialis autem aliquando extendi potest ad intendendam punitionem, quando censetur necessaria ad bonum commune, quod per hanc denuntiationem potest quis intendere, quando iustus de causis non vult suscipere munus accusatoris.

X. Assignatur præterea alia differentia quod paternam denuntiationem nunquam sit propter proprium commodum vel interesse denuntiantis: altera verò potest ex illimo tamen hunc finem non necessario excludi à denuntiatione Evangelica: quod in præcedenti puncto à numer. 4. satis probatum videtur, neque est alienum à verbo Christi, *si peccauerit in te, id est, contra te*: nam fortasse ideo fecit mentionem propriæ iniuriæ (iuxta illam expositionem) ut significaret inter Christianos etiam propria nocumeta: quæ repellere, aut reparare sæpe necessariū est, media correctione fraterna reparanda esse, si fieri possit. Quod etiam significauit Innocentius III. in cap. *nonit*, de iudiciis, dicens, *cum Dominus dicat in Evangelio, si peccauerit in te frater tuus, &c. Et Rex Angliæ sit paratus sufficenter ostendere, quod Rex Francorū peccat in ipsum, & ipse circa eum in correctione processit secundum regulam Evangelicam, & tandem quia nullo modo proficit, dixit Ecclesie, &c.* Constat autem Regem Angliæ inten- sisse propellere iniuriam, vel nocumentum, quod à Rege Francorum patiebatur. Itaque hic finis communis est, qui via vtriusque denuntiationis, imò etiā via accusationis intendi potest: discrimen tamen esse potest, quod in Evangelica denuntiatione, hic finis est secundarius, in alia, vel in accusatione potest esse primarius: imò in his potest esse vnicus: in fraterna autem denuntiatione nunquam separatur ab emendatione fratris: nam si de hac non sit spes, propter solum proprium interesse, statim proceditur ad denuntiationem iudicialem: vel accusationem fratris. Quid autem tunc intersit inter hæc duo, non est huius loci explicare: satis nunc sit, quod per accusationem intentatur propria actio, per denuntiationem verò imploratur potius officium iudicis: unde in iure ciuili aliquibus personis, quibus actio accusandi denegatur, conceditur denuntiatio, ne remedio careant, ut seruo, §. *Sed & maior*. Inst. de his, qui sunt sui vel alieni iuris, & de religioso idem habetur in cap. *insinuant*, qui clericus vel vident.

Tertia differentia inter prædictas denuntiationes est, quod denuntiatio iudicialis versari potest circa delictum præteritum ut sic, id est, ex eo solum, quod commissum est: quamuis peccator emendatus sit, & patri satisfecerit, quantum debeat, quia semper manet reus poenæ, quam ut luat, denunciari potest, si communi bono expedit. In quo conuenit hæc denuntiatio cum accusatione, quamuis Soto supra contrarium sentiat sine causa: & contra praxim: nam denunciamus hæreticum etiam ut puniatur propter commune bonum, non tamen propriè accusat, qui sic denunciat, quia non accipit propriè officium actoris: sicut enim ad interesse proprium denuntiando imploratur aliquando officium iudicis; ita etiam ad vindictam delicti propter commune bonum: in hoc ergo fine conuenit denuntiatio iudicialis cum accusatione, licet differat in aliis solennitatibus: nam accusatio debet in scriptis fieri, cap. *licet Heli*, de Simonia. in denuntiatione verò non est semper necessaria. Accusator etiam obligatur ad probandum: denuntiator verò non semper. Imò Hostiensis supra ait, denuntiationem esse delationem legitimam sine inscriptione, quod permissiū intelligo, nam simpliciter necessarium non videtur: ut vero denuntiatio Evangelica non versatur circa peccatum commissum, eo solum quod commissum est, sed quatenus aliquo modo pendet in futurum: id est, quatenus non est emendatum, vel pro eo non est satisfactum, vel est periculum reincidenti, aut alterius nocumeti, quia si nihil horum interit, cessat finis principalis talis denuntiationis.

Quarta differentia est, quod denuntiatio iudicialis sit superiori, ut iudex est, implorando officium eius: denuntiatio autem Evangelica sit superiori, ut patri, & ideo dici etiam solet denuntiatio paternam, quæ correspondet correctioni fraternæ: nam sicut hæc inter fratres inter se, ita quando non sufficit, fit recursus ad superiorem, ut pater est. Item quia, ut proximè dictum est, per hanc denuntiationem per se non intenditur vindicta, neque absoluta coactio, quæ per se spectat ad officium iudicis, sed intenditur emendatio cum correctione tantum: seu disciplina ad illam necessaria, quæ per se pertinet ad officium patris, & ideo per hanc denuntiationem hoc officium maximè imploratur.

Potest denique quinta differentia assignari, quia per se loquendo, non tam est necessarium ut præcedat monitio fraterna ante iudicialem denuntiationem, sicut postulat ante denuntiationem Evangelicam, nam ante Evangelicam præcise, seu nulla addita regula alius religiosi status: per se requiritur, quando & fratris emendatio, & præuentio omnis periculi, & nocumeti sufficenter per illam speratur: in alia vero non ita. Nam quando oportet illam fieri propter publicam vindictam delicti commissi non est simpliciter necessaria monitio secreta, etiam apud patrem, quia etiamli per illam emendandus sit frater, & cauenda omnia futura incommoda, quantum est ex parte illius; nihilominus facienda est denuntiatio, ut publico, & communi bono per punitionem satisfiat: ergo nulla est necessitas talis ordinis: sed statim potest ad superiorem recurri, tanquam iudicem, ut tam emendatio, quam vindicta per illum fiat: quia propter eam rem non magis infamatur proximus, & ita cessat necessitas illius ordinis.

Atque hinc sequitur, (quæ potest esse sexta differentia) denuntiationem Evangelicam magis fieri posse de peccato occulto, quam iudicialem: nam illa cum tantum fiat Prælato, ut patri, & præcipue sit ob bonum peccantis, nec per illa procedi possit ad propriam punitionem.

punitionem, fieri potest de peccato omnino occulto, ut scholastici omnes cum Augustino docent; imò multi ita intelligunt verbum Christi, si peccauerit in te, ut supra cap. præced. n. 16. declaravi. Denuntiatio autem iudicialis cum eo tendat, ut in foro externo, & per ministerium iudicis, ut sic, finis intentus comparetur; regulariter postulat, ut sit de re non omnino occulta; sed probabili, vel saltem improbabili, ut index possit postea iuridicè procedere; quod sumi potest ex cap. ultimo. de calumniatoribus, ubi punitur denunciator, quia probatio inuenta non est, nisi se sufficienter purget, quod non calumniandi animo denunciaverit. Dixi autem regulariter, quia quando delicta sunt valde nociua communi bono, veluti hæresis, proditio patriæ, & si que sunt eiusmodi, etiam si occulta sint, deferri possunt ad aures iudicis, ut ipse vigilet, vel inquirat quod legitime potuerit.

XV.

Potest tamen obici contra quintam differentiã, quia iura æquè videntur postulare præuiam monitionem ad denunciationem iudicalem, sicut ad paternam, ut colligitur ex cap. nouit, de iudiciis. ibi, In correctione processit secundum regulam Evangelicam, iungit glossa dicente, Alias denunciatus non auditur nisi monitione præmissa, quod videtur expressum in c. cum dilectus, de accusationibus. ibi si confiterit præfatum Episcopum de iam dictis excessibus non fuisse præmonitum ab eisdem, a denuntiatione repellatis eosdem; ubi glossa alia iura refert. Et in ca. licet Heli, de simonia, tam necessaria dicitur esse præmonitio ad denuntiationem, sicut inscriptio ad accusationem; quæ simpliciter necessaria est, & tamen in his iuribus manifestè videtur esse sermo de denuntiatione iudiciali, cum ratione illius iudex procedat ad probationem & punitionem in foro exteriori. Respondetur propter vitanda pericula calumniarum, ordinariè & regulariter non admitti ad denunciandum in foro exteriori eum, qui accusare potest, quando denunciatio ordinatur ad punitionem delicti, quia, per se loquendo, expedit ut se obliget ad probandum, qui defert alterum ad iudicium ut puniatur. Et hinc fit ut in eodem exteriori foro regulariter non admittatur denuntiatio iudicialis, nisi præcedat monitio: quia si denuntiatio ordinatur ad alios fines, via charitatis tenenda erit; si verò ordinatur ad vindictam publicam, denuntiatio regulariter non admittitur, ut dixi: nihilominus tamen ex natura rei loquendo, & in foro interiori, quando denuntiatio bona fide & intentione fit, & iudicatur moraliter necessaria ad finem intentum publicæ vindictæ, siue frater secretò emendetur, siue non, non est necessaria ex natura rei præcedens admonitio, ut ratio facta probat. Et hoc modo procedit assignata differentia.

CAPUT IX.

Utrum denuntiatio Evangelica rectè in Societate procedat.

I.

EX his ad nostrum institutum descendentes dicimus quod utrumque genus denuntiationis Societati necessarium est, sicut omni benè gubernatæ congregationi, in qua & singulorum salus, & commune aliorum exemplum procuranda sunt, ut conseruari possit, quia nulla est tam perfecta congregatio, in qua pro humana fragilitate lapsus aliqui non inueniantur, quos interdum necesse est à Prælato, ut à patre corrigi, & emendari: interdum ut à iudice castigari & præcaveri, ne in aliorum detrimentum serpent. De modo ergo utendi iudiciali denuntiatione qualiscunque ille in usu sit in hac religione, dicemus c. 13. præmittendo in c. 11. & 12. generalem doctrinam ea de re, hic solum de Evangelica disputamus. Et difficultas præcipua est, quando materia

eius est aliquod graue peccatum; nam in communi defectibus, qui in viris etiam perfectis inueniuntur, non oportet tam scrupulose seruari dictum ordinem, ut scilicet priuata monitio præcedat. Imò poterit etiam superior huiusmodi defectus ad se delatos, & cognitos manifestare in publicis reprehensionibus, & ordinarias penitencias imponere, iuxta præxim Societatis, dummodo alicuius momenti non inferant infamiam, ac consentiat secretus delator.

Hæc ergo sit prima assertio, meritò in hac religione seruari ut in leuioribus delictis omnia priuata monitione, statim superiori manifestentur. Huius assertiois veritas (præter elisionem illam iuris, de qua in cap. 7. n. 15.) constat à fortiori, quia si iuxta præxim Societatis leues defectus à superioribus manifestantur in publicis reprehensionibus, ac penitentiis imponuntur, cum inde nulla infamia alicuius momenti creatur, neque detrimentum deferretur, atque eius beneplacitum obtinetur, ut in ordinationibus contractis c. 15. p. 2. n. 6. habetur, multo magis à fortiori licebit talè aliquem defectum soli superiori reuelare: dicta verò praxis est conformis doctrinæ D. Thomæ 2. 2. q. 33. a. 7. ad 4. ubi ait proclamações, quæ in capitulis religiosorum sunt, esse de aliquibus leuibus, quæ famæ non derogant, & ideo posse sanctè fieri sine admonitione præmissa, ut in argumento propositum fuit. Idem habet Soto dicit. Relect. membro 2. quest. 4. ad 1. confirm. 2. argumenti. In quo auctore expendo illa verba: Voco autem graues, non solum illas, quæ sunt peccata mortalia, sed quæ sunt contra famam, & honorem proximi, si qui intraret domos suspectas. Ex quibus verbis & exemplo colligo, in persona religiosa omne peccatum mortale, & omne defectum, qui possit suspitione talis peccati generare, censeri rem sufficienter graue, & consequenter (quod ad præsentem assertionem facit) omnes defectus, qui huiusmodi non sunt, censeri leues, & posse sub hac assertionem comprehendendi. Eandem ferè doctrinam habet Abulenſis in cap. 18. Matthæi q. 97. ad 8. ubi omnia peccata venialia lenia censet ad hunc effectum non præmittendi monitionem priuatam, quin potius Theologi communiter docent, peccatum veniale non esse materiam præcepti correctionis fraternæ, quia est res admodum leuis, & charitas non obligat ad subueniendum proximo in quacunque leui necessitate: quod videtur etiam insinuasſe Christus Dominus in illis verbis, lucratus es fratri tuo, ut disp. quoque 3. de charitate sect. 2. n. 5. ponderauimus, hæc enim supponunt fratrem periisse, ut Augustinus inferre: ergo multo minus erit præceptum seruandi ordinem in correctione venialium, atque ex his intelliges quam recta sit dicta Societatis ordinatio.

Dices, collectionem hanc non esse validam, si peccatum non tenemur ad exercendum aliquem ad certum modum seruandum, ut non teneor orare, si tamen oro, debeo orare cum debita reuerentia, & attentione. Sic ergo licet non teneor fratrem corrigere de veniali lapsu, si tamen volo corrigere, debeo modestis verbis, & cum debito honore illum monere; ergo pari ratione debeo ordinem seruare, ut famæ proximi prospiciam, quæ non nihil, & inter religiosos non parum lædi solet ex manifestatione culparum venialium. Quæ obiectio videtur procedere contra assertionem positam. Cui tacite duo respondent D. Thom. & auctores citati. Primum est illos leues defectus non derogare famæ religiosi. Secundum est, illam non esse denuntiationem, sed recordationem obliuionis culparum. Quod ita explicat Abulenſis, quia in illis capitulis debet quilibet religiosus dicere suas culpas leues, & si aliquas omittere ex ignorantia, vel obliuione, alij proclamant